

TIT. XII.

De Homicidio voluntario, vel casuali.

146 **H**omicidium est violenta hominis occisio ab homine facta, cap. 41. 23. q. 5. L. 1. tit. 8. p. 7. ibi: *Homicidium en latin, tanto quiere decir en romance, como matamiento de ome.* Hominis occisio à fera, vel bruto facta non homicidium, sed pauperies dicitur ex Rubr. Inst. & ff. Si quadrupes pauperem fecerit. Homicidium, aliud est voluntarium, aliud casuale. Voluntarium est, quod ex voluntate, seu animo occidendi, quomodocumque committitur. Et dicitur etiam dolosum. Et potest fieri, vel directe, & est, quod quis committit expressè volens, & intendens hominem occidere: v. g. si pugione aliquem hoc animo percussit: vel indirectè, quod scilicet, quis committit, non expressè intendens occisionem; sed ponendo causam propinquam moralitè certò, & non tantum per accidens inferentem occisionem; v. g. si ubi multus populus est congregatus, aliquis scopulum splodat, vel sagittam emittat, & aliquis occiditur: vel si foeminam prægnantem quis graviter percussit, & sequatur abortus. Rursus: homicidium voluntarium, aliud est justum, seu licitum: aliud illicitum, & injustum. Justum, & licitum, quod etiam dicitur necessarium, est quod quis ad sui ipsius necessariam defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, committit, cap. 18. h. t. L. 2. L. 3. L. 4. C. ad Leg. Corn. de Sicar. vel quod fit publica autoritate Magistratus habentis jus gladii ad delicta puniendâ. Vel si in bello justo fiat; imò & quilibet privatus potest occidere bannitum seu proscriptum. Hispanè: *Encartado*, in territorio Principis proscriptis. Ille enim dicitur bannitus, qui publica autoritate est declaratus reus mortis: nec ipsis bannitis licitum est se defendere, sicut reis ad mortem damnatis, qui ad supplicium deferuntur non licet occidere Ministros justitiæ, filii parentes, nec è contra, etiam bannitos, non possunt occidere: quia hoc repugnat charitati ex Jure Naturale ortæ. Nec Clerici in Sacris possunt bannitos occidere, cum non possit, etiam justè in causa sanguinis, sententiam proferre. Lacroix L. 3. p. 1. n. 79. & § 16.

Illicitum, & injustum est homicidium, quod extra dietas circumstantias, cum animo occidendi committitur, vel in rixa subito exorta, vel proditorie, vel ex insidiis, vel per assassinium, vel per veneficium, hoc est per veneni profectionem, vel alio modo indebito. Homicidium casuale est, quod præter intentionem committitur fit. Et est omne casuale, si nullo modo sit voluntarium; v. g. si non fuit periculum prævisum, vel ad periculum præcavendum diligentia sufficiens fuit adhibita, & sequatur ex actione, alias licita, & honesta, quæ cum periculo homicidii nullam habeat connectionem, ut constat ex c. 13. c. 14. c. 23. h. t. sic præter omnem intentionem Cephalus Procrim occidit: Sum ratus esse feram telumque volatile nisi. Procris erat. Si verò homicidium sequatur ex actione, alias illicita, vel prævisio periculo non sit sufficiens diligentia ad illud avertendum adhibita, dicitur casuale culpabile, ut in cap. 7. cap. 19. h. t. cap. 38. D. 50. prædictas distinctiones asserunt. L. 13. L. 14. tit. 6. p. 1. L. 1. tit. 8. p. 7. & satis insinuatur in cap. 41. 23. q. 5. ibi: Si homicidium est hominem occidere, potest tamen occidere aliquando sine peccato: nam & miles Hostem, & Judex, vel Minister ejus nocentem, & cui fortè invito, atque imprudenti telum manu fugit, non mihi videntur peccare, cum hominem occidunt. Sed homicida isti appellari non solent. Cum homo justè occiditur. Lex etiam caecidit, non tu.

147 Ad penas homicidii voluntarii injusti incurrendas, cum hoc odiosum sit, debet sequi mors in effectu; arg. cap. 4. de Cler. non resid. Suar. de Censur. D. 44. sect. 2. Gonz. in cap. 11. h. t. n. 5. Unde si mors per miraculum impediatur, vel postquam aliquis jam est mortuus, sapius ex rabie ab inimico percussatur, non erit homicidium; etiamsi truncet cadaver, & in partes secat. Deinde, est necessarium, quod simul cum morte, etiam animus occidendi conjungatur, ac proinde si præter intentionem sequatur mors: quia quis solim intendebat percutere, vel vulnerare, cum animus occidendi desit, non est homicidium directè, ac perfectè voluntarium. Suar. de Censur. D. 44. sect. 1. n. 4. Cum tamen animus, & propositum præsumatur, prout verba, vel facta declarant, adesse animum occidendi præsumitur, nisi occidens probet, talem animum adfuisse. L. 1. C. ad Leg. Corn. de Sicar. Menoch. de Præsumpt. L. 6. p. 5. n. 2. vel alia fortiori præsumptione

ipse occidens juretur; v. g. si sanguinem, vel amicum occidat, vel si instrumentum, quo occidit minus aptum sit ad hunc effectum; v. g. si clavi, aut cucuma percussit. L. 1. §. 3. ff. ad Leg. Corn. de Sicar. vel si manu occidat. Gom. Var. 3. cap. 3. n. 17. Tunc enim occidendi purgatio per juramentum indicitur. Licet enim antiquitus conatus, vel affectus ad occidendum, ut homicidium pupiretur. L. 7. L. 8. L. 9. C. ad Leg. Corn. de Sicar. Hodie tamen consuetudine universali conatus, etiam quando ad proximum actum pervenit, non ordinaria homicidii, sed alia extraordinaria poena plectitur. Clar. §. fin. q. 92. n. 2.

148 Jure Civili homicidium, etiam si non sit qualificatum. Hodie poena mortis plectitur, §. 5. Inst. de Public. judic. & quidem indistinctè, nulla habita ratione ad nobilitatem, sicut antiquitus in L. 3. §. 5. ff. ad Leg. Corn. de Sicar. L. 5. tit. 8. p. 7. hæc enim mortis poena, etiam Jure Divino in homicidas pronuntiata est. Gen. 9. v. 6. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Levit. 24. v. 17. Qui percusserit, & occiderit hominem morte moriatur. Matth. 26. v. 52. L. 3. tit. 23. lib. 8. R. C. ibi: *Mandamos, que qualquier que matare á otro, aunque lo mate en pelea, que muera por ello, salvo si lo matare defendiéndose.* Si aliquis alium vulneraverit, qui post aliquod intervalum est mortuus, si depositione Medicorum, vel Chirurgorum, qui sub juramento suam opinionem syncerè edicere tenentur, vulnus erat lethale, aggressor; ut homicida punitur, nulla habita ratione malæ curationis, vel aliarum circumstantiarum, cap. 18. h. t. Si liquido constat, vulnus non esse lethale, sed ex imperitia, vel negligentia, vel alia causa vulneratum periisse, absolvitur aggressor à poena ordinaria. Idem est, si dubium sit, an vulnus sit lethale. Siquidem, quando de vita hominis agitur probationes dubiæ non sufficiunt ad mortis poenam decernendam. L. fin. C. de Prob. & melius est in dubio absolvere nocentem, quam innocentem condemnare. L. Absentem, 5. ff. de Penis. Si plures ex conditio, & communi consilio ad homicidium concurrant, etiamsi unus tantum occidat, omnes poena ordinaria homicidii puniuntur. L. 3. ff. ad Leg. Jul. d. Vi privat. Gonzal. in cap. 18. h. t. n. 4. Si tamen in rixa subito exorta plures contra aliquem insurgant, si de occisore constet ipsæ poena ordinaria, cæteri ex

traordinaria plectuntur. Si non constet, neque per tormenta, vel alias probationes veritas possit detegi, omnes attentis circumstantiis poena extraordinaria puniuntur: nullus tamen propter incertitudinem poena mortis plectendus est. Gonz. in cap. 18. h. t. n. 4. Clar. §. Homicidium, n. 38. Covarr. in Cl. Si furiosus, h. t. p. 2. §. 2. num. 5. Si homicidium sit omnino casuale, nulla poena punitur. Si aliqua culpa fuit in causa pro qualitate culpæ imponitur poena. L. 12. L. 13. tit. 23. lib. 8. R. C. Qui in ebrietate aliquem occidit cum prævisione talis occisionis poena extraordinaria plectitur. L. 6. §. 7. ff. de Re milit. non verò poena ordinaria Legis Corneliæ, quia hæc solum homicidio commisso ex proposito, & dolo imponitur. L. 1. §. 1. & 3. L. 7. ff. ad Leg. Corn. de Sicar. secus est si animo occidendi, se in ebriavit. L. 6. §. 7. ff. de Re milit. Covarr. in Cl. Si furiosus, h. t. p. 3. n. 4. Clar. §. fin. q. 60. n. 12. Menoch. de Arbitr. cas. 326. n. 3. Qui calore iracundiæ alterum occidit, regularitè non liberatur à poena ordinaria homicidii; arg. L. 16. §. 2. ff. de Penis: nisi ira usum rationis pervèrat: quod raro præsumitur: tunc enim poena mitiori punitur. Poena ordinaria homicidii punitur, qui Titium volens occidere, occidit Cajum: nam talis ignorantia non tollit malitiam respectu homicidii in genere. Covarr. in C. Alma, p. 1. §. 10. n. 4. Gonz. in cap. 11. h. t. n. 12.

149 Homicidium præmeditatum, quod cum deliberatione, & occidendi proposito fit, quia atrocissimum crimen, quam homicidium simplex est, idè etiam gravius punitur. Tale potest fieri. 1. ex insidiis, quando scilicet, ex dolosa machinatione, in necem alterius fit more latronis, qui improviso invadit prætereuntem, 2. Proditorie, quando scilicet, non precisè per insidias, & dolum occidit, quis eum, qui dampnum non timeret; sed occidit sub specie amicitiae incautum, & nihil præcaventem. In nostra Hispania sic punitur. L. 10. tit. 23. L. 8. R. C. ibi: *Tudo hombre, que matare á otro á traicion, ó aleva, arrastrenlo por ello, y enforquenlo: y todo lo del traidor ayalo el Rey, y del alevoso aya la mitad el Rey, y la otra mitad sus herederos: y si en otra guisa lo matare sin derecho, enforquenlo, y todos sus bienes hereden sus herederos, y no peche el homicillo. Et in L. 10. tit. 26. lib. 8. R. C. dicitur: Otrrosi, todo hombre, que ficieren muerte segura, cae en caso de aleva,*

y la mitad de sus bienes pertenecen á nuestra Cámara: y toda muerte se dice segura, salvo aquella que fuere fecha en pelea, ó en guerra, ó en riña. Et in L. 15. tit. 23. lib. 8. R. C. dicit Rex: Mandamos, que qualquiera persona que matare, ó hiriere á otro con arcabuz, ó pistoleta, por el mismo caso sea avido por alcovite, y pierda todos sus bienes, la mitad para nuestra Cámara, y Fisco, y la otra mitad para el herido, ó herederos del muerto; y no entendemos en ningun caso remitir la dicha pena. Laté Acev. in ips. Leg. & alii. 3. Fit per Assassinium. Assassinii fuerunt quidam infideles, qui ex quibusdam falsis opinionibus movebantur ad occidendos Christianos. Hodie Assassinos vocamus etiam fideles, qui ob pecuniam quempiam interficiunt. Ad probationem adeo atrocis criminis probabilia argumenta sufficiunt, cap. 1. h. t. in 6. Etiam ad penam capitalem infligendam. Farin. Prax. Crim. q. 123. num. 46. Barb. in cap. 1. h. t. in 6. n. 20. De Jure Canonico Assassinus, etiam fidelis, imò defensores, fautores, receptatores excommunicantur. Item mandans alterum per Assassinum occidere, etiamsi mors non sequatur. c. 1. h. t. in 6. & quidem excommunicatio est late sententiæ, non tamen reservata. Barb. in cap. 1. h. t. in 6. Etiam infames fiunt post criminis declarationem. Tales etiam deponuntur à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio post sententiam declaratoriam: amittunt privilegium Clericale, dummodò degradentur: diffidantur à toto populo Christiano, ita ut saltem post sententiam declaratoriam criminis à quolibet privato, impunè possint occidi: privantur immunitate Ecclesiastica asyli, præter irregularitatem, quæ est communis omnibus homicidiis. Barb. cap. 1. h. t. in 6.

150 Sicut alium non licet occidere, vel mutilare, sic ulli permittitur, se ipsum mutilare, vel occidere: quia nemo est Dominus membrorum suorum. L. 13. ff. ad Leg. Aquil. Et qui hoc facit privatur Ecclesiastica sepultura, si in statu peccati mortalis decessit, & bona confiscantur, nisi ex impatientia, vel tristitia, vel alia causa se occiderit. In nostra Hispania omnia bona ipsius confiscantur. L. 8. tit. 23. lib. 8. R. C. Aliquando potest excusari à peccato tale homicidium, si scilicet ex speciali inspiratione oriatur, ut in aliquibus Martyribus, qui se flammis objecerunt. Et in Sansone, qui cum Philistæis, concussis columnis Templi se

oppressit. Miles non potest etiam cum periculo vitæ stationem deserere. Damnatu ad mortem per famem potest abstinere, etiam à cibo clam sibi oblato. Condemnatus ad mortem per venenum, potest, & juxta aliquos, teneri illud bibere. Miles potest ad turrim hostium evertendam, vel ad hostes destruendos, pulverem nitratum incendere, & si sciat se obrundum: sicut Eleazar, qui ut Regem occideret, elephanti se supposuit, illumque occidit occidendus ab ipso. Machab. 1. 6. v. 43. & potest quis mergere, vel incendere navem, ne cum gravi Reipublicæ damno ea hostis potiat. In naufragio potest quis alii tabulam cedere, & ad servandam Principis vitam potest se ictui, vel telo objicere, & amici ad mortem injustè damnati vires subire. Mulier potest sectionem ventris permittere, ut infans baptizetur: non tamen ad hoc tenetur. Ad fugiendum incendium potest quis ex alto se præcipitare, multoque magis licet peste infectis servire. Catholico optanti martyrium licitum est non fugere à carcere: quamvis facile possunt. Nam etiam si in his casibus propria vitæ periculum imminet, tamen mors tunc præter intentionem sequitur. Similiter est probable, quod quis non teneatur sectionem rupturæ, vel tibie abscissionem pati, etiam cum periculo vitæ; nam ut alter dixit. Non est tanto digna labore salutis. Fœmina ob pudicitiam tuendam licitè se exponit periculo mortis, non permittens curari ab homine in partibus vendendis, ut fecit Regina Catholica Elisabetha. Licitum tamen est mutilationem procurare, quando hæc ad corporis conservationem, est necessaria: juxta illud: Ut corpus redimas ferrum patieris, & ignem. Et potest quis amputare sive manus, ut liber à catena, evadat mortem. Etiam licitum, & meritum est, carnem moderatè macerare, ut spiritus sit subjecta: modo non sit cum notabili periculo vitæ, vel membrorum: nam hoc peccaminosum esset. Non tamen licet prætextu castitatis servandæ, se mutilare: multoque minus ob conservandam vocem, quamvis hoc praxis, & aliqui DD. pro servitio Ecclesiæ licitum censeant. Non tamen tenemur vitam positivè prolongare: & possumus respicere medicinas, citra mortis periculum. Lacroix, L. 3. p. 1. ex n. 769. alios citans pro utraque parte.

151 Homicida, vel mutilans, vel vulnerans aliquem, si hoc non faciat ad pro-

propriam defensionem cum moderamine inculpate tutele, sed contra justitiam commutativam, peccat vulnerando, tenetur ad damna ipsi læso, vel suis parentibus filiis, consanguineis, vel suis hæredibus, vel creditoribus secuta. Et quidem, si dolose, & cum peccato gravi hoc fecit, in conscientia tenetur ante omnem Judicis sententiam, restituere, sic obligante justitia commutativa. Si verò tantum culpa juridica intervenit, non tenetur ante Judicis sententiam. Hinc reficere debet vulnerator expensas in curatione vulnerati factas. c. 1. de Injuris; & compensare tenetur lucrum, quod haberet, ex suo officio, si vulneratus non esset. Pro vita, vel pro membro nihil debet restituere: nam vita hominis, est altioris ordinis, quam pecunia. Si tamen ex cicatrice damnum aliquod resultaret; v. g. quia fœmina ob ejus fecunditatem, vel deformitatem ex cicatrice provenientem nuberet difficilius hoc esset recompensandum. Soto de Just. lib. 14. q. 6. art. 3. Navar. in Man. cap. 15. n. 22. Si verò ex vulneratione nullum damnum sequatur, vel si damnum secutum sit condonatum à parte, nihil restituendum est: imò consuetudine plurium locorum, quando homicida ultimo supplicio damnatur, nihil ultra restituitur.

152 Nunc de irregularitate resultante ex homicidio agendum est: quia ea præcipuè ad nostrum Jus Canonicum spectat. Irregularitatem incurrit. 1. Qui homicidium voluntarium injustum etiam simplex comittit. Etiamsi in lucem nondum sit editus occisus; v. g. si quis abortum foetus animati procurat. c. 5. c. 20. h. t. L. 14. tit. 6. p. 1. Qui volens occidere Titium occidit Cajum verè homicida, & irregularis est. Suar. de Cens. D. 45. secus si volens occidere feram, hominem occidat: nam tunc illa occisio respectu hominis est involuntaria. Suar. de Cens. D. 45. sect. 6. n. 18. 2. Qui dat causam propinquam, & efficacem mortis; v. g. si venenum propinet, etiamsi mors post longum tempus sequatur. Nam damnum censetur dare, qui illius causam dat. c. fin. de Injur. L. 15. ff. ad Leg. Corn. de Sicar. 3. Qui alium lethalerè percussit, vel vulneravit, etiamsi ab aliis sit omnino interemptus, est irregularis, & etiamsi non constet vulnus lethale esse, si constet de animo occidendi, qui ex qualitate armorum præsumitur, dum tamen ita vulneratus, postea periisset, etiam ab alio percussus; arg. c. 18. b. t. Imò

etiam quando non lethalitè, quis alterum percussit, si hic postea ab alio, à quo propter vulnus fugere nequit sit occisus fit etiam irregularis nam qui primo percussit, causam, vel saltem occasionem dedit homicidio; arg. c. 18. b. t. Similiter quis incurris irregularitatem, si occasione vulneris mors secuta sit, quamvis non immediatè ex vulnere; v. g. quia febris, vel inflamatio supervenit, quam non potuerunt Medici imperiti curare: quia rei illicitæ operam danti effectus imputatur. c. 11. c. 12. b. t. Secus est, si causa sit prorsus extrinseca, quia Medicus, vel ipse æger nocivum medicamentum adhibuit, cum vulnus fuisset leve, & nullomodo periculosum. c. 12. b. t.

153 Quærò: etiam fit irregularis, qui truncat, vel mutilat membrum alterius c. fin. D. 55. c. 8. Ne Cler. vel Monac. c. 4. de Raptor. c. fin. h. t. in 6. Ad hanc irregularitatem incurrendam requiritur amputatio membri. Nec enim sufficit, si vulnus infligatur, etiam cum sanguinis copiosa effusione. Suar. de Cens. D. 44. sect. 2. n. 6. Membrum est illa pars corporis, quæ habet functionem, seu officium ab aliarum corporis partium officio distinctum: & est quasi integrum instrumentum proximum alicujus actionis, ut oculus, auris, nasus, lingua manus, pes, mammilla fœminarum, & similes: juxta illud Apost. Rom. 12. v. 4. Omnia membra corporis non eundem actum habent. Gonz. in c. 11. b. t. n. 6. quorum operationes sunt videre, audire, odorari, loqui, tangere, ambulare, &c. ut notat D. Gregor. in c. 1. D. 89. Varietas membrorum per diversa officia, & robur corporis, servat: & pulchritudinem præsentat. Dentes verò, cartilagonasi, vel auris, vel pars carnis, non sunt membra: imò, nec digitus, juxta L. 1. ff. de Adilitio Edict. janet. Gloss. sed quia hoc est dubium, petenda erit dispensatio ad cautelam. Suar. de Cens. D. 44. sect. 2. n. 9. & ita declaratum est à Correg. 13. Jul. 1687. In dubio, an aliqua abscisio sit mutilatio declarat Ordinarius, qui in dubio in irregularitatem inclinavit, quia supponitur certa mutilatio. Suar. de Cens. D. 44. sect. 2. n. 8. Qui abscidit membrorum inutile aridum, vel impeditum ad suum officium, si est omnino mortuum, nec amplius informatum anima, non est irregularis, quia est quasi non membrum: secus erit, si adhuc sit vivum, quia tunc abscidit, & mutilat quod verè est membrum humanum. Suar.

de Cens. D. 44. sect. 2. n. 11. Qui alium notabiliter, citra mutilationem, deformat; v. g. vulnerando, ita ut ad ordines nequeat promoveri, non est irregularis: quia hoc non est in iure expressum. c. 18. de Sentent. excomm. in 6. Suar. de Cens. D. 44. sect. 2. n. 12. Imò, qui sine abscissione membrum alterius; ita debilitat, ut aridum, & inutile ad operationem reddat: quia hoc non est mutilare, proinde non incurrit irregularitatem. Suar. de Cens. D. 44. sect. 2. n. 5. Sic Judex, qui torquendo reum, membrum ejus inutile reddit, non est irregularis.

154 Non solum qui per se occidit, vel mutilat est irregularis: sed etiam ille, qui est causa moralis efficax talis homicidii. Hinc irregularis est r. mandans homicidium, mutilationem, vel abortum, si hæc ex mandato sequantur. c. 8. D. 50. c. fin. b. t. in 6. nam qui per alium homicidium facit, per se ipsum facere censetur. c. 72. de Reg. jur. in 6. Si vero non sit secutum homicidium, irregularitas non incurritur. Nec tunc incurritur, quando mandatarius, etiam sine mandato, erat occisurus quia mandans non fuit causa homicidii, licet voluntatem habuisset in illud influendi: nisi suo mandato fuisset causa, ut saltem citius mandatarius occideret. Irregularis fit, etiam si tantum tacite mandet, imò etiam si mandans protestetur, se nolle aliquem occidi, sed tantum verberari, cum verberatio sit injusta, si ex tali verberatione, etiam ex malitia, mandatarii, qui fines mandati excesit, mors sequatur: imò etiam si ipse mandatarius, præter mandantis intentionem occidatur: cogitari enim poterat, & debeat mandans, ex tali causa, talem occisionem, posse sequi. c. fin. b. t. in 6. ibi: *U, qui mandat, aliquem verberari, licet expressè inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilat, vel occidat: cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuisset cogitare.* Si verberatio licita est, ut quando Pater, Filium, Dominus, Servum Magister, Discipulum mandat verberari, si mandatarius fines mandati excedendo occidat, vel mutilat, non imputatur mandanti, nec fit irregularis. Culpa enim cessante, etiam poena irregularitatis cessat; arg. c. 60. de Appellat. Si mandans revocet expressè vel tacite mandatum occidendi, ita ut ad notitiam mandatarii potuerit pervenire, etiam si manda-

tarius occidat, non imputatur mandanti, siquidem revocata ejus voluntate, jam non est causa moralis homicidii, cum mandans solum voluntate influat, tenetur tamen non solum ex charitate, sed etiam ex justitia, hoc mandatario, quomodo possit impedire; v. g. monendo occidendum, saltem in communi, suæ vite insidias parari &c. Alias erit irregularis ob injustitiam alteri factam, cujus damna impedire ex justitia tenetur. Suar. de Cens. D. 44. sect. 3. ex n. 6.

155 Secundo: consulens homicidium est irregularis, si hoc in effectu sequatur, & consilium sit illius causa moralis: quia sine eo alter non erat occisurus. Si vero etiam sine consilio alter occisurus erat, consulens non fit irregularis, nisi tali consilio saltem influxerit in alterius voluntatem, ut citius, vel crudelius homicidium committat. c. 8. D. 50. c. 6. b. t. L. 14. tit. 6. p. 1. Nec sufficit revocate consilium, ut de mandato diximus siquidem adhuc rationes quæ homicidium suadevant, sunt illius causa moralis, ac proinde consulens erit irregularis. Debet ergo, ut se ab irregularitate liberet, diluere, & enervare rationes, quibus homicidium suasit, vel saltem hoc pro viribus procurare: nam tunc ablata causa morali à consulente, amplius non debet ipsi imputari effectus. Suar. de cens. D. 44. sect. 3. ex n. 11. Qui auxilium, vel opem fert, si sit causa propinqua homicidii, vel cooperando directè; v. g. vulnerando: vel indirectè; v. g. occisorem comitando, & animando sua præsentia, vel detinendo occidendum, ne fugiat: cum in his casibus verè homicidio cooperetur, vel physicè, vel moralitèr, irregularitatem incurrit. c. 6. b. t. L. 14. tit. 6. p. 1. Quando plures ad aliquem occidendum concurrunt, omnes incurunt irregularitatem, non solum si ex conditio, & communi consilio aliquem: ad ipsum occidendum, aggrediantur, etiam si unus tantum occiderit. c. 6. b. t. c. 5. de Penit. Sed etiam si in rixa subito extorta, contra aliquem plures insurgant: sive aliquis eum certò occiderit, sive ignoretur occidens, vel vulnerans, sive vulnus sit lathale, sive non omnes irregulares fiunt: quia omnes sunt veluti una causa moralis occisionis. Nam etiam si aliqui non vulnèrent, cooperantur occisioni, præstando auxilium, animum, & favorem occisori, vel impediendo occisum, ne se defendat; arg. c. fin. 23. q. 8. Suar. de Cens. D. 45. sect.

sect. 3. n. 9. Si verò aliquis lapide projecto ex dono sit occisus, & ignorentur à quo ex habitantibus sit projectus, nullus fit irregularis in foro externo, sed unusquisque suæ conscientia est relinquendus: quia de nullo in particulari constat, deliquisse, nisi probetur: & melius est, nocentem dimittere quem innocentes punire. L. 5. ff. de Penit. Suar. de Cens. D. 45. sect. 3. n. 11.

156 Qui non impedit homicidium, cum possit, etiam si ex odio interno faciat hoc, si solum ex charitate illud impedire tenetur, non fit irregularis, cum hæc irregularitas in jure non sit expressa; arg. cap. 18. de Sentent. excomm. in 6. quia cum homicidium sit peccatum contra justitiam, non censetur moralitèr occisioni cooperari, qui justitiam non violat. Suar. de Cens. D. 45. sect. 4. n. 3. Irregularis tamen fit, qui ex justitia tenetur homicidium impedire, ut Magistratus respectu suorum subditorum: Dominus respectu servorum: Pater respectu filiorum, & è contra: & non impedit, cum sine gravi incommodo impedire possit. Nam sic omittens peccat contra justitiam, & cooperari occidenti creditur, estque causa moralis homicidii, cap. fin. 23. q. 3. sic Judices non obviantes homicidia irregulares sunt, & qui se obligavit aliquem defendere, si non defendat, & filii, & vasalli si patrem, & dominum non defendant: Advocatus, & Procurator, qui dolose defensionem omiserunt, ut reus ad mortem damnaretur, quia hi omnes ex justitia mortem alterius tenentur impedire, cap. 7. 23. q. 3. ibi: *Qui non repellit à Socio injuriam si potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit.* Hinc medicus culpabiliter omittens aliquem ægrotum curare, si is moriatur, erit irregularis, si stipendium à Civitate recipiat: si tamen nullum recipiat stipendium, irregularis non erit. Etiam irregularis erit Gubernator navis, qui post susceptum regimen, illud deseruit, & imperitio commisit, si inde fuit secutum naufragium; vel si Pater filio, Dominus servo, maritus uxori alimenta negaverint, & fame pereant. Er quicumque elemosynam negent pauperi fame pereunt: qui scit homicidium occultè tractari, & illud non revelat: si ex justitia revelare teneatur, erit irregularis; secus si ex justitia non teneatur, Gonz. in cap. 11. b. t. n. 7. irregularis est ille qui parato succurrere mandat, ne succurrat, sed patiatur alterum occidi secuto homicidio, & si mandatarius, cui

prohibet, ex justitia non teneatur succurrere: quia talis mandatarius contra justitiam delinquit, & positivè consilio, vel mandato cooperatur. Qui verò per fraudem, vim, aliumve injuriam alterum à defensione occidendi retrahat feret irregularis, quia contra justitiam occisi ageret. Nam licet defendere volens ad id solum ex charitate teneatur, alter verò habet jus, ne ista defensio ab alio per injuriam impediatur. Similiter irregularis est ille, qui ramum abscedit illi, qui cum in flumine mergeretur, illum apprehenderat. Gonzal. in cap. 11. b. t. num. 7. Suar. de Cens. D. 45. sect. 4. per tot.

157 Licet qui ratam habet percussorem Clerici suo nomine factam excommunicationem Canonis incurrat: quia sic est expressè dispositum, in cap. 23. de Sentent. excomm. in 6. cum è contrario expressum non sit, habentem ratum homicidium factum suo nomine irregulare fieri, non est censendus irregularis; arg. cap. 18. de Sentent. excomm. in 6. quia cum rati habitio sit posterior homicidio, nequit esse ejus moralis causa; nec quoad hunc effectum rati habitio æquiparetur mandato, licet æquiparetur, quoad culpam, cap. 10. de Reg. jur. in 6. Hanc sententiam tenent, Gloss. in cap. 8. D. 50. V. Aut consilio. Suar. de Cens. D. 44. sect. 3. n. 24. Covar. in Gl. Si furiosus, b. t. p. 2. §. 1. n. 4. Gonz. in cap. 17. b. t. n. 2. contra Sylv. V. Homicidium, 1. q. 7. Navarr. in Man. cap. 27. n. 233. & alios. Imò nec fit irregularis etiam positivè consentiens in homicidium, etiam si verbis consensum exprimat, si aliter non concurrat, vel influat efficacitèr in illud animando, auxiliando, vel aliter cooperando. Suar. de Cens. D. 44. sect. 3. n. 21.

158 Homicida, præter irregularitatem dictam, si laicus est, incurrit excommunicationem sententiæ ferendæ, cap. 20. 24. q. 3. si Clericus deponendus est ab ordine, & officio, cap. 12. D. 81. & in arctum Monasterium detrudendus est, cap. 6. §. fin. b. t. Hodie ejus loco, ad carceres, vel tritremes damnatur: & si incorrigibilis sit, degradatus traditur brachio sæculari, cap. 10. de Judic. beneficiis antea obtentis per sententiam privandus est. Suarez, de Cens. D. 44. sect. 4. n. 33. Gaveta de Benef. p. 11. cap. 10. n. 39. & alii. Deinde, fit inhabilis, non tamen fit incapax: ad beneficia Ecclesiastica obtinenda; Trid. sess. 14. de Reform. cap. 7. ac proinde collatio beneficii facta Clerico homicidæ non est ipso jure irrita, Ec
seg

sed tantum prohibita. *Suar. de Cens. D. 44. sect. 4. n. 34.*

159. Alia irregularitas ex homicidio etiam justo incurritur: non ex culpa: nam si iustum supponitur, culpa carere debet, sed tantum ex inhabilitate, etiam sine culpa propria, ut accidit in irregularitate proveniente ex defectu natalium. Nam condemnare malefactorem ad mortem, vel mutilationem non est peccatum, quia ex præcepto iustitiæ faciendum est. *Exod. 22. v. 18. ibi: Maleficos non patieris vivere, cap. 45. cap. 46. cap. 47. 23. q. 4. cap. 21. b. t. Nam salus Reipublicæ exposcit, malefactores occidere, ne tanquam putrida membra reliquum corpus inficiant: imò, ut in cap. 47. 23. q. 4. dicit D. Gregor. Si quos igitur violentos, si quos adulteros, si quos fures, vel aliis pravus actibus studere cognovistis, Deum de eorum correctione placere festinate. Hac ergo irregularitas provenit ex defectu lenitatis, cap. 3. cap. 4. 23. q. 5. quæ Clericis adeo necessaria est. Quo enim pacto ille qui alienum sanguinem voluntarie, quamvis laudabiliter fudit, repræsentabit personam Christi mirrissima, qui pro nobis, & sanguinem proprium fudit? Ideo Ecclesia iudicavit, non esse tales ad incrementum Missæ Sacrificium admittendos. Nec enim in lege veteri Deus voluit Templum sibi ædificari à Davide, qui multum sanguinem fudit, sed à Salomone pacifico. *D. Thom. 2. 2. q. 40. art. 3. Greg. Lop. in L. 17. tit. 6. p. 1. Gonzal. in cap. 11. b. t. n. 10. etiam apud Gentiles effusores sanguinis ab altari arcebantur, & idè, Æneas sic loquitur apud Virgil. Æneid. L. 2. Tu genitor cape sacra manu patriosque Penates: me bello è tanto digressum, & cade recenti, atrectare nefas, donec me flumine vivo abluero. Ex defectu ergo huius lenitatis sunt irregulares: 1. Judex sententiam sanguinis, vel mutilationis proferens, cap. 1. D. 51. cap. 29. 23. q. 8. cap. 5. cap. 9. Ne Cleric. vel Monach. vel aliam similem, ex qua mors rei sequatur; v. g. si denegat alimenta, vel in carcerem detrudat, in quo veri similiter ipse morietur. *Gonz. in cap. 11. b. t. n. 10. 2. Assessores consilarii, & alii, qui suo naufragio, vel consilio, talem sententiam promovent. Suar. de Cens. D. 47. sect. 1. n. 4. Gonzal. in cap. 11. b. t. n. 10. 3. Accusator, vel denunciator, si agat criminaliter, ad vindictam publicam coram Iudice sæculari in causa mortis, vel mutilationis digna: etiamsi contra poenam sanguinis protestetur: nam protestatio est contraria facto, si delictum***

poenam sanguinis mereatur: 4. Advocatus accusatoris, si agat ad vindictam publicam, & non tantum civiliter: 5. Testes, qui deponunt in causa, ex qua ad mortem reus damnetur, etiamsi protestentur, nolle ad causam sanguinis concurrere. Nam revera influunt. Si tamen à Iudice cogatur testis laicus deponens, etiam contra reum, benignior sententia tenet, cum irregularitatem non incurrere. Clericus tamen à nullo Iudice potest cogi contra reum deponere: quia præcipere illicitum, & gravesum, pro reo bene potest Clericus deponere: 6. Notarius, seu Tabellio scribens, subscribens, dictans, vel recitans sententiam mortis, cap. 9. Ne Cler. vel Monach. 7. Ministri iustitiæ sententiam sanguinis exequentes, & omnes reum ad mortem deferentes, & ad custodiam committantes Iudicem. Denique, omnes, qui auctoritate publica ad prolationem, vel executionem sententiæ actu concurrunt: ut scalam applicantes, qui campanam pulsant, ut reus capiatur, & omnes, qui ex parte occidentis concurrunt, active, & efficaciter ad sententiam mortis. *Natur. in Man. cap. 27. ex n. 208. Suar. de Cens. D. 47. sect. 2. & seqq.*

160. Non fiunt irregulares, etiamsi ad sententiam sanguinis concurrant 1. Summus Pontifex: siquidem, superior est, & non ligatur Jure Ecclesiastico, à quo hæc provenit irregularitas; arg. cap. 6. de Elect. adeo, ut etiamsi aliquem propriis manibus occidat, non est irregularis. *Suar. de Cens. D. 44. sect. 3. n. 1. contra Bald. & alios: 2. Inquisitores, Comissarii, & Consultores, etiamsi apud Iudicem sæcularem instet, ut reus comburatur. Sic ob favorem fidei dispensantibus. Paul. IV. & S. Pio V. Test. Peñ. ad Eymen. in Direct. Inquis. p. 2. con. 20. Suar. de Cens. D. 47. sect. 1. & n. 10. 3. Judex Ecclesiasticus, qui reum degradatum brachio sæculari tradit, si intercedat pro reo ne morte puniatur, cap. 27. de Verbi. signif. L. 6. tit. 6. p. 1. ibi: Pero el Perlado debe rogat por el, que le haya alguna merced, si quisiere. *Suar. de Cens. D. 47. n. 12. 4. Prælati Ecclesiastici, vel Episcopi, qui sæcularem jurisdictionem, cum jure gladii exercent, si causas sanguinis in generali, imò & in particulari delegent adjecta clausula: ut causa coghita faciant iustitiam. cap. fin. Ne Clerici, vel Monach. in 6. nam tunc solum remotè concurrerent, cum mandatum solum ad administrationem dirigatur, ac proinde non habet locum,**

cap.

cap. 72. de Reg. jur. in 6. ubi dicitur, quod per se facere censetur, quod quis per alium facit. Secus est, si jubeant determinate, ut certæ personæ mors, vel mutilatio inferatur. Nam tunc concurrerent immediate, imò si Iudex appellationis sit si sententiam mortis severiorem à Iudice inferiori latam mitiget, etiam mortem infligendo, probabiliter non est irregularis, quia sententia tunc potius est actus misericordiam, quam severitatis. 5. Advocatus rei, & Testes pro eo deponentes: quamvis accusator ex eorum depositionibus ad mortem condemnatur, vel calumniat; quia hoc præter intentionem sequitur. 6. Advocatus rei, etiamsi eo in causa succumbente reus ad mortem damnetur: nisi hoc ex imperitia, culpa, vel negligentia advocati proveniat, nam tunc fiet irregularis ex delicto iustitiæ commisso, non tamen ex defectu lenitatis. 7. Judex accusator, testis, &c. qui ad sententiam sanguinis concurrunt, si mors non sequatur, v. g. si Iudex tantum reum jussit flagellari, cap. 4. de Raptor. Vel etiamsi ad mortem damnavit, si ex indulgentia tamen Principis sententia non fuit executioni mandata. Nec est irregularis Judex, qui ad trirèmes damnavit reum, licet hic ibi decedat; quia talis sententia nec mortem, nec membri mutilationem continet. *Gonz. in cap. 11. b. t. n. 10. 8. Accusator accusans coram Iudice Ecclesiastico, etiam criminaliter, & sine protestatione, & etiamsi accusatus ob delictum debeat tradi brachio Sæculari non fit irregularis. Quia non censetur accusator magis ad mortem, quam Iudex ipse Ecclesiasticus concurrere. 9. Accusans, etiam coram Iudice Sæculari de crimine, quod poenam mortis non meretur, etiamsi Iudex ex sua malitia, vel forte, ex aliis delictis postea detectis, reum ad mortem condemner, quia hoc est præter accusantis intentionem, & ad talent mortem solum remotè, & per accidens concurrir.*

161. Decimo, quilibet Laicus, vel Clericus sine metu irregularitatis potest denunciare, vel accusare coram Iudice Sæculari, etiam sine protestatione, crimine nondum commissum, sed quod imminet ab alio faciendum in præjudicium Reipublicæ, vel Tertii: etiamsi accusans persona extranea sit. Dummodo hoc non aliter possit averti: ad hoc enim Lex charitatis, & Jus Naturale obligant, ac proinde nulla est irregularitas,

Tom. II.

à jure imposita; arg. cap. 8. de Accusat. ibi: Accusati aliquem, & per tuam accusationem occisus est, nisi pro pace hoc feceris, quadraginta dies in pane, & aqua pœnitens. Si verò aliquis pro persona extranea, agat coram Iudice Sæculari, etiam civiliter de crimine commisso poena mortis condigno, erit irregularis: etiamsi protestetur, se poenam sanguinis non intendere; arg. cap. 2. b. t. in 6. *Suar. de Cens. D. 47. sect. 2. n. 16: 11. Potest quis sine irregularitatis incurso alterum accusare civiliter coram Iudice Sæculari in causa propria, vel suæ Ecclesiæ, vel patriæ, vel parentum, vel conjunctorum: etiamsi aliud remedium subesser ad damnum recuperandum: & etiamsi tali accusatione facta, Iudex poenam mortis, vel mutilationis, utpotè condignam delicto, imponat: quin, & potest reum capere, & tradere iudici; arg. cap. 19. §. Ad ult. b. t. Dummodò protestetur (expressè quidem, nec sat est, si tacite fiat) se nolle poenam sanguinis, vel mutilationis infligi, sed tantum, se satisfactionem damni illati intendere, cap. 2. b. t. in 6. Hæc protestatio* ab irregularitate liberabit accusatorem, Laicum, vel Clericum; etiamsi fictè fiat, vel cum interno desiderio supplicii sanguinis: quia Ecclesiæ non iudicat de internis. Ita tenent Covar. in Cl. Si furiosus, b. t. p. 2. §. 5. num. 2. *Suar. de Cens. D. 47. sect. 2. Barbar. in cap. 2. b. t. in 6. n. 9. Gonz. in cap. 11. b. t. n. 10. Syl. V. Homicidium, 2. q. 8. Nav. in Man. cap. 27. n. 226. & alii. 12. Nec fiunt irregulares Princeps, etiam Ecclesiasticus, condens Leges infligentes poenam mortis: nec Professor docens in Scholis Leges poenales in genere, & quasi in abstracto: nec concionator, si Iudicem hortetur, Leges servare, punire delicta in genere: secus in particulari, loquendo de certa persona: nec Jurisperitus, etiam Clericus, qui etiam de aliquo reo in particulari Consuluit, an sit dignus morte, si tantum explicet, quid Leges statuunt, nihil suadendo circa rei punishmentem. Nec confessarius, qui cogit reum ad delictum morte dignum confitendum in iudicio, quando juridicè interrogatur, nec si hortetur, ne appellet à sententia justa: neque si Iudici negat absolutionem Sacramentalem, quia non punit morte reum ea dignum: quia hi omnes tantum remotè, & præter intentionem concurrunt ad mortem. Siquidem eorum**

Ee 2

rum

rum intentio est, vel bona gubernatio Reipublicæ, vel conscientia penitentium, &c. 13. Nec irregulares sunt opifices furcæ, scalæ gladii, & quia tantum sunt causa remota mortis. Qui verò scalam applicant, vel laqueum afferunt: quia proximè ad mortem cooperantur, irregulares sunt. Sicque sunt irregulares, qui monent carnificem, ut citò amputet caput, vel reum hortantur scalam ad furcam ascendere, &c. Secus verò qui præter intentionem reum hortantur in via procedere, vel jumentum pungit: nam licet indè mors acceleretur, parum pro nihilo reputatur, & per accidens sequitur 14. Nec irregulares sunt Laici, vel Clerici, qui etiam ex vana curiositate supplicio sanguinis assistunt: nam licet hoc non minus ac sententiam sanguinis proferre Clericis prohibeatur. *In cap. 9. Nec Cler. vel Monach.* hoc præceptum, vel consuetudine est abrogatum, quoad spectatores tantum, vel debet intelligi de presentia autoritativa, & eorum, qui ad sententiam aliquomodo cooperantur. *Gloss. ibid. Navar. in Man. cap. 27. n. 214. Suar. de Cens. D. 47. sect. 4. n. 10. Gonz. in cap. 11. h. t. n. 10.* Denique Judæi, Pagani, vel alii quicumque infideles non baptizati, etiam si Judices fuerint in causa sanguinis, non sunt irregulares: quia cum sint extra Ecclesiam, hac lege non obligantur, illos ordinari: quia cum hic defectus non oriatur ex culpa, & per baptismum solum peccata deleantur, dicendum est, talem defectum manere. *L. 17. tit. 6. p. 1. ibi: Si alguno que fuesse de otra ley, se oviesse acertado en facer tal justicia como esta, ante que se tornasse Christiano embargarlo, y á el homicidio que assi oviesse fecho, de manera, que se non podría despues ordenar: como quier que non lo embargaria la muerte, que huviesse fecho en otra guisa, como non debia, é non por razon de justicia, si despues quel fuesse baptizado quisiesse rescibir Ordenes, é esto tovo por bien Santa Elesia, porque en matar omes por justicia non ya pecado ninguno, porque el Derecho lo manda: é pues que pecado, y non yace, non se tuelle por el baptismo, que lava todos los pecados.* Si verò occisus, sive per homicidium injustum, sive per justitiam sit infidelis, irregularitas contrahitur, *cap. 5. D. 50.* quia in occisionem cujuslibet hominis invenitur, vel eadem culpa, vel

idem defectus lenitatis: ac proinde irregularis est, qui occidit infantem in utero matris, dum animatus sit, vel etiam excommunicatum, vel bannitum. *Suar. de Cens. D. 44. sect. 3. n. 4.*

162 Omnes, qui militantibus in bello injusto cooperantur, vel ad pugnam exhortando, vel arma præbendo, vel campanam pulsando ad seditionem, vel ad arma capiendam, vel alio quocumque modo juyando: etiam sarcinas custodiendo, sunt irregulares etiam si ipsi nullum occidant: dummodo aliquis ex parte contraria, etiam si sit unicus occidatur, vel mutiletur: quia omnes sunt veluti una causa moralis homicidii, *cap. 4. D. 51. c. 6. §. fin. h. t.* Hæc tamen irregularitas non ex defectu perfectæ lenitatis, sed potius ex homicidio injusto oritur. Et de bello injusto intelliguntur. *Textus in cap. 5. de Pœn. & cap. 6. §. fin. h. t.* Si verò nullus occidatur, irregularitas non contrahitur non solum à Laicis, sed nec à Clericis: quamvis his specialius ad tale bellum concurrere prohibeatur. *In cap. 5. 23. q. 8. cap. 9. Ne Cleric. vel Monach.* & ut in princ. *caus. 23. q. 8.* notatur, quando Christus dixit Petro *converte gladium tuum in vaginam, fuit idem ac dicere: In exemplum patientiæ gladium tuum, id est, baculum tibi concessum in vaginam converti: & tantum spirituale gladium, quod est Verbum Dei, in mactatione veteris vite exerce.* Item Ambrosius dicit: *Arma Episcopii lachryma sunt, & orationes.* Nec irregularitatem incurrunt, qui in tali bello assistunt tantum ad milites in spiritualibus juyandos, vel pacem componendam. *Nav. in Man. cap. 27. num. 218. & 224. Suar. de Cens. D. 47. sect. 5. & alii.* Qui pugnant in bello justo offensivo, seu aggressivo, quod scilicet causa Reipublicæ indicitur publica, & suprema, autoritate ad vindicandam injuriam illatam, damna compensanda, vel res ablatas recuperandas, si non propria manu occidant, vel mutilent, etiam si alii mutilent, vel occidant, non sunt irregulares, *cap. 3. de Cler. percuss. arg. à contrario, c. 24. h. t. Suar. de Cens. D. 47. sect. 6. n. 4.* licet enim omnes velut una causa moralis homicidii censeantur, non omnes incurrunt irregularitatem: quia dant operam rei licite. Clerici, qui armati nomen militiae dederunt accepto stipendio, etiam si moraliter sit certum, nullum occidisse, vel mutilasse, sunt irregulares ex *Declar. S. Cong. 18. Jan. 1703.* & ipso jure beneficium, etiam patronatum, amit-

amittunt. Extra tamen casum non incurrunt irregularitatem Clerici in bello justo pugnantibus, & nullum occidentes propria manu; *arg. cap. 24. h. t.* licet talis pugna propria manu graviter, & sub variis poenis Clericis prohibeatur, *cap. 5. 23. q. 8. cap. 5. de Pœnis.* Pugnantes verò in bello justo offensivo, si propriis manibus, alique occiderint, vel mutilaverint, etiam si in hoc non peccent, sunt irregulares, ex defectu lenitatis Christianæ, *c. 1. D. 51. c. 24. h. t. Navar. in Man. cap. 27. n. 215. Sitar. de Censur. D. 47. sect. 6. n. 6. Barb. & Gonz. in cap. 24. h. t.* Qui pugnant, vel occidunt, vel mutilant in bello defensivo necessario suscepto ad Ecclesiæ, vel Patriæ defensionem, & injuriam ipsis illatam repellendam, nullam irregularitatem incurrunt, *cap. 2. de Immunit. Eccles.* Siquidem magis favorabilis est Patriæ defensio, quam vitæ propriæ; *arg. L. 3. de Principil. Suar. de Cens. D. 47. sect. 6. num. 2. Gonzal. in cap. 24. h. t. n. 2.* & Laicis non sufficientibus, etiam si Clerici, vel Religiosi pugnent, non sunt irregulares: secus si Laici sufficiant; *arg. cap. 24. h. t.* Laici tamen etiam libere pugnantes in tali bello ab irregularitate sunt immunes: secus Clerici, vel Religiosi, exceptis equitibus Melitensibus, & aliis hujusmodi.

163 Ex homicidio merè casali, quod omni culpa caret, non nascitur irregularitas. Si enim carat culpa, non est infligenda poena: qualis tunc esset irregularitas, *cap. 9. cap. 13. h. t. L. 15. tit. 6. p. 1.* Hinc si furiosus (perseverante furore: secus in lucido intervallo) infans, aut dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrunt. *Cl. Si furiosus, un. h. t.* Nec qui operam rei licite dat, si præter intentionem mors, aut mutilatio alicujus sequatur; v. g. si dum campana, ad populum convocandum, pulsatur, tintinabulum decidat, & alique occidat. Vel si in ludo pilæ, vel alio simili aliquis occidatur. Vel si agrotus dum levatur, vel dum ipsi Medicinâ à Medico præscripta porrigitur, moriatur, *c. 9. c. 13. c. 15. c. 16. c. 22. c. 23. c. fin. h. t. L. 15. t. 6. p. 1. ibi: La segunda manera, que saca el homicero de culpa, es excusa de pena, es assi como quando algun Clerigo face homicidio por ocasion, faciendo alguna labor, ó otra cosa que le convenga, guardandose de facer daño á otro quanto pudiere.* Incurrunt tamen irregularitatem, qui dat operam rei licite,

ex qua mors, vel mutilatio, alicujus secuta est, si non adhibuit diligentiam ad talem mortem, vel mutilationem impediendam. Nam talis effectus aliquomodo voluntarius est, nam licet opus, ex quo sequitur sit licitum, tamen non licite fit propter homicidii periculum, quod debuit, adhibita diligentia vitari. Sic irregularis est Presbyter, qui causa discipline puerum in capite percussit, ex qua percussione occubuit, *cap. 7. h. t.* Item Clericus, qui à tergo falcem non removit, in quod alius ex more insiliens, vulneratus est lethaliter, *cap. 8. h. t.* Similiter, qui mandavit alterum verberare, etiam si expressè præcipiat, ne occidatur, si verberibus occisus est à mandatario, qui fines excessit mandati: hoc enim posse accidere debuit cogitare, *cap. fin. h. t. in 6.* vel qui rectum reficiens regulam projecit, & ea hominem occidit: si non clamavit, vel signum de more non posuerit: secus si clamando, vel alio signo monuit, ad homicidium præcavendum. *L. 15. tit. 6. p. 1.* Ad hanc irregularitatem in foro interno incurrendam requiritur culpa Theologica: & quidem gravis, cum irregularitas, sit poena spiritualis gravis, quæ peccatum grave debet supponere, ut inter culpam, & poenam debita pro portio detur; *arg. cap. 12. de Pœnit. & remis. ita Sot. de Just. L. 5. q. 1. art. 9. Suar. de Cens. D. 45. sect. 5. n. 8. contra Cajet. & alios.* Pro foro externo negligentiam levissimam sufficere ad irregularitatem incurrendam tenent Covar. in *Cl. Si furiosus, p. 2. §. 4. n. 9. cum aliis. Avila tamen Laym. & alii*, latam culpam esse ad irregularitatem necessariam, tenent ex *cap. 7. de Pœnit. & remis. junct. Gloss. V. Negligentibus*, probabilius tamen est, culpam levem requiri, & sufficere ad irregularitatem incurrendam. *Ex cap. 9. h. t.* in cujus specie non potuit deficere culpa levissima. Nam cum quidam Clericus cum alio luderet, contigit, quod ille projecit istum ad terram, & tunc cullus, quem ad latus suum habebat in alterum incidit, & fortuito occubuit vulneratus. Et cum Clericus non irregularis declaratur ideo dicendum, quod, non sufficit culpa levissima ad irregularitatem. Sufficere tamen culpam levem, probatur ex specie, *cap. 8. h. t.* Ubi ex culpa levi irregularitas nascitur: & hanc sententiam tenent Sylv. Angel. & alii, & inclinatur. *Suar. de Censur. D. 45. sect. 5. ex n. 4.* Ubi addit, quod licet omnis cul-

culpa negligentiae, de qua loquimur, consistat immediate in omissione cavendi periculum homicidii, potest accidere, quod illud periculum sequatur ex alia omissione, non succurrendi periclitanti, vel non impediendi homicidium: ita, ut tota culpa consistat in omitendo; & tunc non tantum levissima, sed etiam lata culpa excusat ab irregularitate, *cap. 7. de Panis. & remis.*

164 Irregularem esse illum, qui rei illicitae operam dans aliquem occidit, etiam nulla omisa diligentia, ad homicidium praevocandum, indistincte tenent. *D. Thom. 2. 2. q. 6. art. 8. Innoc. in cap. 19. h. t. Sylv. V. Homicidium, 2. Navar. in Man. cap. 27. ex n. 220. & alii.* Sed communis distinguit: an actio illicita ex se periculosa sit, & facile, inductiva mortis, vel mutilationis, vel non. Si enim actio est, ex se periculosa, & inductiva mortis: tunc irregularitas incurritur, etiam omni diligentia ad mortem praevocandam adhibita: siquidem homicidium est voluntarium, saltem in causa. Si vero actio non sit hujusmodi, tunc non incurritur irregularitas. *Covarr. in Cl. Si furiosus, h. t. p. 2. §. 4. n. 10. Suar. de Cens. D. 45. sect. 5. Soto de Justit. lib. 5. q. 1. art. 9. Barbo. in cap. 9. h. t. num. 3. & alii.* Hinc si imperiti exerceant Medicinam, Chirurgiam, artem ballistarum, vel torneamenta; fiunt irregulares. Si Clericus, etiam causa pietatis Chirurgiam exerceat per sectionem, vel adustionem, si mors, vel mutilatio sequatur: quamvis sit usus regulis irregularis fit, quia hoc ipsi specialiter prohibetur, *cap. 9. Ne Cler. vel Monach. Secus si mors, nec mutilatio sequatur: in dubio an mors sit secuta ex sectione, vel adustione pro irregulari habetur. Non tamen erit irregularis, etiamsi seceat venam, & mors sequatur: quamvis alii hoc negant. Si utitur emplastro, vel alia medicina, non erit irregularis, quamvis mors sequatur: quia solum ipsi prohibetur uti sectione, vel adustione. Nec irregularis erit, si tantum mander, vel consulat sectionem, vel adustionem, si ipse non faciat per se ipsum, *cap. 9. Ne Cler. vel Monach. cap. 7. de Etate, & qualitate. cap. 19. h. t. Vid. Lacroix, lib. 7. num. 526. L. 15. tit. 6. p. 1. ibi: Ca magner el onecillo acaccesse por ocasion, è se guardasse el sacerdor quanto pudiesse de facer daño, non se puede excusar que non sea en culpa. Qui in ebrietate, non totali, alium occidit si usum rationis retineat, nec à cul-**

pa, nec à poena, nec ab irregularitate liberatur: imò nec ab irregularitate erit immunis, licet se totaliter, & culpabiliter inebriet, & usum rationis amittat, si praevidit probabilitatem homicidii, vel mutilationis, ab ipso in ebrietate committendae, eo quod soleat arma arripere, & ad stantes impetere. Si vero non praevidit homicidii periculum, etiamsi aliquem in ebrietate occidat, non erit irregularis. *Nav. Man. cap. 27. ex num. 230. Barbo. in Cl. un. h. t. n. 10.* Juxta plurimum sententiam irregularis est, ille qui alium inebriavit, si ebrius aliquem occidat. Sed cum esse immunem, nisi praevidisset, illud periculum adesse, dicendum est. *Gonz. in cap. 11. h. t. n. 7.* Nec incurritur irregularitas, si Clericus venando, hominem, putans esse feram, occidat. Nec si ex alicujus adulterio mors adulterae sequatur. Nam licet tam Clericus, quam adulter opus illicitum faciant, tamen tales actiones ex se non habent connexionem aliquam cum morte secuta: ac proinde homicidium non imputatur ipsis. Ille, qui agitationem Taurorum procuravit, ex qua mors alicujus fuit secuta: nec ille, qui ludendi causa lapidem, in alium projecit, qui fuit vulneratus nequam fiunt irregulares. Nec si alius ex talis lapidis ictu fuit vulneratus, & propter Medicorum imperitiam postea obiit, *cap. 22. h. t.*

165 Quando dubium intervenit, an alicui actui sit annexa irregularitas: qui sic dubitat, non est habendus pro irregulari: quia irregularitas solum in casibus in jure expressis incurritur, *cap. 18. de Sentent. excom. in 6. & casus, in quo de jure dubitatur non est casus expressus in jure. Si dubium facti intercedat, in quo, supposito corpore delicti, scilicet homicidio (secus est de mutilatione) dubitetur, an culpa alicujus acciderit, ipse pro irregulari est habendus: nam in tali dubio, ex dispositione expressa juris, tutior pars est eligenda, *cap. 12. t. 28. h. t.* Si vero de corpore delicti dubitetur; an scilicet, homicidium, vel mutilatio; res ipsa acciderit, irregularitas non incurritur. Nam tunc favor rei, & defectus probationis cum à tali poena debent eximere; *arg. cap. 11. de Reg. jur. in 6. ibi: Cum sunt partium jura obscura, reo faciendum est potius, quam actori. Item: in dubio melior est conditio possidentis, cap. 65. de Reg. jur. in 6.* Et ille possidet suam libertatem. *Suar. de Censur. D. 40. sect. 5. Samb. in Decal. lib. 1. cap. 10. ex n. 42.**

Barbo.

*Barbo. & Gonzal. in cap. 12. h. t. Praeterea: pro irregulari est censendus, qui bello justo, in quo aliquis fuit occisus, interfuit, si dubitet, an propria ipsius manu sit occisus, *cap. 24. h. t. dummodò dubium non sit leve.**

166 Aliquando homicidium solet fieri ad defensionem vitae, vel bonorum: & dicitur necessarium. Omni enim jure licet vim vi repellere: ac proinde, qui ad sui defensionem alterum occidit cum moderamine inculpatae tutelae immunis omnino est à culpa, sic ipso Jure Naturali suadente. *Armagus in armatos sumere jura sinit.* Nam talis occisio est defensio propria, quae omnibus est permessa. *L. 3. ff. de Just. & jur. cap. 18. h. t. cap. 6. de Sentent. excom. in 6. L. 2. tit. 8. p. 7. ibi: Ca natural cosa es, è muy guisada, que todo ome haya poder de amparar su persona de muerte, queriendolo alguno matar à él. L. 1. tit. 23. lib. 8. R. G. ibi: Salvo si fuere en su defension.* Nam alias viri justis, & innocentes facile à perversis, & malevolis, cum maxima perpugnantia perturbacione invaderentur, *cap. 2. h. t. in 6. ac proinde, qui injustum invasorem occidit, immunis est in utroque foro ab omni poena, & onere. L. 2. L. 3. C. ad Leg. Cornel. de Sicar. & per consequens ab irregularitate. Cl. un. h. t. Ubi dicitur, quod nullam incurrit irregularitatem, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem, & consequenter non solum potest in susceptis ministrare, ut planè conceditur in *L. 16. tit. 6. p. 1.* sed etiam ad superiores ordines ascendere, quamquam hoc negetur à praedicta Lege, ut ibid. notat *Greg. Lap. V. Sobir à mayores. D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 7. Suar. de Cens. D. 46. sect. 1. Gonz. in cap. 3. capi. 11. cap. 18. h. t.* Non solum potest quis ad sui defensionem invasorem injustum, sed etiam, & innocentem occidere: v. g. si quis à furioso, vel amente invadatur: vel si quis à Turcis impetatur, in quorum triformi inventianum remiges Christiani, potest se defendere quamvis innocentes occidantur. Nam à natura habet quis jus ad se defendendum: etiamsi innocentes periculum pro accidens patiantur.*

167 Potest quis impunè occidere invasorem, non solum ad defensionem propriam, sed etiam aliorum innocentium: quamvis extranei sint, *cap. 5. & segg. 23. q. 3. cap. 6. de Sentent. excom. in 6. Sic Moyses laudabiliter occidit Aegyptium, ut Hebraeos defenderet, ut habetur in *cap. 7.**

23. q. 3. & factum constat ex *Act. 7. v. 24.* Ad hoc enim charitas nos obligat: nam proximum, sicut nos metipsum, diligere debemus, *cap. 5. & seg. 23. q. 3.* Imò aliquando, justitia obligavit, ut si quis ex officio alterum defendere debeat, ut Principes, & Magistratus respectu subditorum: Milites respectu illorum, pro quibus militant: vassalli respectu Dominorum, à quibus habent feuda: filii respectu parentum. Et tunc etiam cum gravi damno proprio tenentur innocentem defendere: quod si culpabiliter omittant, non solum peccabunt, sed etiam ad damnum illatum reparandum tenentur; secus est, si tantum ex charitate obligentur: nam tunc solum sine magno sui periculo tenentur defendere innocentem: nec obligantur ad reparanda damna orta ob eorum omissionem, licet peccent. Immunis ergo ab irregularitate est non solum, qui occidit ad vitam propriae defensionem, quod est regularis. *Cl. 11. h. t.* sed etiam, qui occidit ob defensionem proximi: quia nec ex delicto potest oriri talis irregularitas, cum tunc licite occidat, & aliquando ex obligatione Legis Naturalis, & Divina, qua proximum innocentem defendere debet: nec ex defectu lenitatis, cum ad hoc ipsum obliget charitas christiana, & aliquando justitia, *cap. 5. 23. q. 3.* nec sic occidit, est voluntaria occisio sicut est Judicis, siquidem Judex officium spontè suscepit: secus qui occidit ad defendendum aliquem. Nam hoc necessitate cogente facit. *Sic D. Thom. 2. 2. q. 40. art. 2. Covar. in Cl. Si furiosus, h. t. p. 3. §. un. & alii, cum quibus hoc tenet Suar. de Cens. D. 46. sect. 3. Et licet olim D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 2. ad 3. & plures Juristae tenuerint, etiam ex homicidio facto à Clerico ob defensionem resultare irregularitatem, ex *cap. 8. D. 50.* Verius tamen est nunquam fuisse impositam irregularitatem homicidio ob defensionem facto, nisi in eo excederentur defensionis limites. *Suar. de Censur. D. 46. sect. 1. n. 2.**

166 An possit quis licite, & sine incursu irregularitatis occidere invasorem praecise pro defensione rerum temporalium, etiam quando nullum periculum imminet vitae invasi, latè disputant DD. inter quos convenit, talem occisionem, quando est mixta pro vita, & bonis licere; *arg. cap. 2. cap. 3. h. t. L. 9. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* Quando verò est pro solis bonis temporalibus; v. g. quia fur accepta, & ablata pecunia fugiat, quam ipsum

scoplo occidendo possunt recuperari: tunc occisionem esse illicitam docent. *Gloss. in cap. 2. b. t. Sylv. V. Homicidium; 2. q. 16. n. 11. Nav. in Man. cap. 27. n. 211. Mol. tr. 3. D. 72. n. 3. Gutierr. Laym. & alii, præcipue ex cap. 2. b. t. ubi copulative requirit Pontifex ad vitandam irregularitatem, quod defensio sit ad se, suaque liberandum: dicendum tamen est, hanc sententiam veram esse, quando res ablata aliter potest recuperari; v. g. apud Judicem: nam tunc non servaretur moderamen inculpatæ tutelæ, vel quando res est parvi momenti: nam Innoc. XI. damnavit hanc propositionem, quæ est 31. Regulariter occidere possunt furem pro conservatione unius aurei. Arbitrio tamen Judicis est estimanda quantitas sufficiens ad reddendam licitam talem occisionem, atenta necessitate subjecti. *Carden. Cris. Theol. dissert. 21. cap. 4. num. 82. & 90.* Hinc qui occidit alium ob defensionem rei magni momenti, & quæ aliter nequit recuperari, nullam poenam, nec irregularitatem incurrit; *arg. cap. 38. D. 50.* quia hæc non contrahitur ob delictum, siquidem licite fit: nec ex defectu: quia sic occidens non auctoritate publica, nec in bello, sed necessitate ad hoc cogente, occidit. Quia bona temporalia, aliquomodo æquiparantur vitæ ob necessitatem ad illam conservandam; & sicut ob bona temporalia licitum est bellum defensivum: sic licet private occidere: alias improbi facile ad diripiendas res, & bona hominum allicerentur cum maximo Reipublicæ damno; *arg. cap. 2. b. t. in 6. & sic docent Cov. in Cl. Si furiosus, b. t. p. 3. §. un. num. 6. Suar. de Cens. D. 46. sect. 2. ex n. 1. Gonz. in cap. 3. b. t. n. 11. alios citans in cap. 2. b. t.* Et quod dicit Pontifex, se, suaque liberando, debet accipi disjunctive sic: se vel sua liberando, ut notat cum aliis *Gonzal. ibid. n. 4.* quæ sententia meo videri expressè invenitur decisa in cap. 6. de Sentent. excom. in 6. vel saltem luculentè comprobatur. Invasorem famæ, & honoris licite occidi sine irregularitatis metu ex eo, quod fama, & vita, æquiparentur, *cap. 56. 11. q. 3. n. 10. 12. q. 1. L. 8. §. 3. ff. Quid met. caus. tenent Sot. de Justit. lib. 5. q. 1. art. 9. Azor, p. 3. L. 2. cap. 1. q. 16. & alii.* Sed cum fama, etiam amissa possit aliis mediis recuperari, quod non accidit in vita: Ideo, licet, quoad alia æquiparentur, quoad hoc est clara disparitas, ac proinde dicendum est, hoc non licere, ut tenent *Barb. in cap. 10. b. t. n. 3. Less, L. 2. de**

*Just. & Jur. cap. 9. n. 79. & 82. Filius, Layman, Cardenas Cris. Theol. dissert. 21. cap. 2. quod roboratur ex propositionibus ab Alex. VII. dematis, quæ sunt 17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defensionis non suppedit: ne suppedit non videtur, si calumniator ut paratus, vel ipse Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris predicta impingere, nisi occidatur. 18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, & etiam Judicem, à quo iniqua certe imminet sententia, si alio via non potest innocens damnari evitare. Et 30. damnata ab Innoc. XI. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fustem percussit, & post impactam alapam, vel ictum justis fugiat. Foemina potest occidere aggressorem suæ pudicitia, si aliter nequeat deflorationem suæ virginittatis vitare: quia virginitas valde estimabilis est, & ejus jactura irreparabilis: imò & licitum est infamiam realis aggressorem occidere; v. g. si alapam impingere tenter, vel fustem ignominiosè percutere, si Invasor nequeat sine ignominia fugere. *Sot. Suar. de Cens. D. 46. sect. 2. n. 6.* Si verò in defensione bonorum, vel proximi: quin, & vitæ propriæ non servetur moderamen inculpatæ tutelæ, occidens, vel mutilans erit irregularis, *cap. 18. b. t. ibi: Tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad summam vindictam, sed ad injuriam propulsandam. Cl. un. b. t. L. 16. tit. 6. p. 1. & ex hujus moderaminis defectu est irregularitas incurta in casibus. Text. in cap. 10. cap. 18. b. t. Suar. de Cens. D. 46. sect. 2. n. 10.**

169 Moderamen inculpatæ tutelæ hæc tria requirit: I. causam justam, scilicet quod aggressor injustè, saltem materialiter invadat; v. g. si furiosus velit occidere, si enim offensio non esset injusta, non posset esse justa defensio. *Suar. de Cens. D. 46. sect. 1. n. 7.* Hinc non potest quis se defendere contra Ministros justitiæ eos occidendo, quia non sunt aggressores injusti, cum exequantur justum mandatum Judicis: 2. Requiritur modum, scilicet quod defensio proportionata sit offensionem, *cap. 35. de Sent. excom. ibi: Dum tamen non amplius eorum violentia se extendat; quam defensio, vel religio exigit Clericorum. L. 5. ff. ad Leg. Aquil.*

Hinc

Hinc non licet occidere, quando aliter potest averti invasio; v. g. si sufficiat mutilare, fugare aggressorem, illum exarmare, vel prosternere: vel si alter tantum pugno, vel baculo invadat sine periculo vitæ, aut mutilationis. *Cl. un. b. t. ibi: Qui mortem aliter vitare non valens occidit, vel mutilat invasorem.* Si quis fugiendo possit periculum invasoris vitare, occidere, vel mutilare, non potest, nisi fortè fugiendo se exponeret periculo mortis: quatenus posset cadere, vel sua fuga alterum animosiores reddere, tunc enim etiamsi Clericus esset non teneretur fugere, nec quando magna ipsi ex fuga resultaret infamias v. g. si esset miles, vel nobilis: nam non minor est respectu horum jactura famæ, quam vitæ, plebejus autem, Clericus, vel Religiosus sine decore possunt fugere. Sic Covarrub. in *Cl. Si furiosus, b. t. p. 3. §. 1. n. 1. & 4. Suar. de Cens. D. 46. sect. 1. n. 5. Gonz. in c. 11. b. t. n. 9. Nav. in man. cap. 27. n. 211. & alii contra alios, qui indistincte tenent, esse irregularem eum, qui occidit invasorem cum posset fugere. 3. Tempus. Scilicet, quod defensio incontinenti, hoc est, ipsa invasione fiat. *L. 3. §. 9. ff. de Vi, & vi armat. vel quando vis imminet; v. g. quando invasor ense stringit, vel explodit scelopum. Nec enim tenetur quis ictum, vel explosionem expectare: sed potest prevenire occidendo: quia tunc occisio esset necessaria defensio. L. 5. ff. ad Leg. Aquil. L. 3. ff. ad Leg. Cornet. de Sicar. L. 2. tit. 8. p. 7. ibi: E non há de esperar, que el otro le fierá primeramente; porque podría acacer, que por el primer golpe, que le diese podría morir el que fuesse acometido, è despues non se podría amparar. Si ex intervalo fiat; quando v. g. agresor nullam infert vim, nec aliud periculum imminet, magis esset vindicta, quam defensio. Nec possumus alium occidere; ob bona, quæ speramus, vel ad quæ jus habemus: nam Innoc. XI. has propositiones damnavit, quæ sunt 32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam, ad quæ jus inobvatum habemus, & quæ nos possessuros speramus. 33. Licitum est tam heredem, quam legatario, contra injustè impediendum, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Catehedram, vel prævendam contra eorum possessionem injustè impediendum. An moderamen sit servatum in foro conscientia, juxta propriam conscientiam, vel opi-**

Tim. II.

nionem doctiorum, attentis circumstantiis eximinandum est. In foro esterno arbitrio, & prudentia Judicis relinquatur. *Suar. de Cens. D. 46. sect. 1. n. 7.*

170 R. Pontifex, quia supra omne jus Ecclesiasticum est, potest dispensare in quacumque Irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, vel ex mutilatione. *C. 4. de Conco. præbend. L. 14. tit. 6. p. 1. ibi: Qualquiera que haya hecho homicidio de voluntad, non puede rescibir Ordenes, nin usar de las que ante havia, fueras ende, si el Papa dispensasse con él.* Irregularitate proveniente ex homicidio plene voluntario, sive injustum illud sit, sive etiam justum, etiamsi occultum sit, & non deductum ad forum contentiosum, nequit Episcopus dispensare, ut expressè decisum est in *Trident. sess. 24. de Ref. cap. 6.* E contra verò potest dispensare Episcopus. 1. In Irregularitate orta ex homicidio casuali occulto, quamvis hoc ex opere illicito sit secutum. 2. In Irregularitate orta ex homicidio occulto, non ex proposito, & directè; sed indirectè, & in causa intento; v. g. si quis in rixa subito exorta auctorem rixæ occidat, ne ab eo occidatur. *Suar. de Cens. D. 44. sect. 1. n. 4. & com. Doctor. 3.* In Irregularitate ex homicidio occulto ad defensionem sui facto, etiam si non servetur perfectè moderamen inculpatæ tutelæ. 4. In Irregularitate proveniente ex mutilatione voluntaria, quando hæc est occulta, ut contra *Mendin. Henriq. & Sanch. in Dec. L. 1. cap. 10. n. 46.* tenet *Nav. Man. cap. 27. n. 240. Suar. de Cens. D. 44. sect. 4. n. 35. Barb. in Trid. sess. 24. de Ref. cap. 6. n. 36. & alii,* qui in his casibus homicidium, quamvis illicitum, non est perfectè, & directè voluntarium, quod tantum excluditur à dispensatione Episcopi. *Trident. sess. 24. de Ref. cap. 6. ibi: Licet Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientes excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario: dispensare.* Quando verò delictum ex quo resultat Irregularitas est ad forum contentiosum deductum, non potest Episcopus in ea dispensare. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 6.* cujus decisio extenditur ad delictum deductum ad forum contentiosum, etiam finito judicio per sententiam condemnatoriam: siquidem jam delictum notorium factum fuit. Sic *Barb. de Offic. Episcopi, alleg. 39. n. 35. Garcia de Benef. p. 7. cap. 11. num. 30. & est declaratum à Sacra Congr. contra Laym. L. 1. tr. 5. p. 5.*

Et

cap.

cap. 9. n. 5. *Sanch. in Dec. L. 2. cap. 11. n. 21. & alios.* Potest etiam Episcopus dispensare in foro conscientiae in irregularitate orta ex homicidio, etiam plene voluntario, quando hoc est occultum, si difficilis sit ad Papam recursus, scandalum, infamia, vel aliud grave peccatum timeretur: ut possit irregularis celebrare in ordinibus, etiam sacris, quando culpa est occulta & donec Papa dispenset Delictum censetur deductum ad forum contentiosum quoad dispensationem irregularitatis, quando super eo lis contestatur: & insuper requiritur, quod cum effectu poterit probari in iudicio. Hinc, si sententia absolutoria super delicto sequatur, vel si solum fuit posita accusatio, denuntiatio, vel citatio delinquentis, potest Episcopus dispensare. *Barb. de Offic. Episcop. alleg. 39. ex n. 29. Sanch. de Matr. L. 8. D. 34. n. 57.*

171 Delictum enim occultum, quoad dispensationem, manere censetur, quando neque est evidens ex sua natura, seu quando probari nequit: ac proinde non obstat, quod de eo detur suspicio, vel diffamatio, vel coram aliquibus, quibus testimonium dicere esse prohibitum, sit paratrum: imò, nec sufficit, quod probari possit, si tergiversando, vel aliter possit excusari. Nam notorium non est, quod aliqua excusatione, vel tergiversatione potest celari. In nostra Societate Praepositi Generalis potest cum suis subditis Regularibus in irregularitatibus ortis ex delicto occulto, etiam homicidii, mutilationis, & enormis sanguinis effusionis dispensare. Et hæc facultas communicatur omnibus superioribus, & confessoribus, quibus ipsi eam commiserint, exceptis casibus bigamiae; homicidii, mutilationis, & enormis effusionis sanguinis, qui Praeposito Generali reservantur, ut *Const. ex Comped. Priorell. Societ. V. Dispensatio. §. 5. & 6.* quoad alias Religiones statuta specialia attendantur. Commissarius Cruciatæ, vel delegati ab ipso possunt in irregularitatibus omnibus dispensare, nisi procedant ex homicidio voluntario, simonia, apostasia à fide, hæresis, aut mala ordinum susceptione, aut ex celebratione Missæ, & aliorum Divinorum officiorum. Ad materiam homicidii, prout respicit actus internos, pertinent hæc propositiones damnatæ ab *Innoc. XI.* scilicet 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.* 11. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* 13.

Si cum debita moderatione facias, poteris absque peccato mortali de vita alicujus tritari, & de illius morte naturali gaudere: illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia persone, sed ob aliquod temporale emolumentum. 14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem, ut malum patris, sed ut bonum cupientis: quia nimirum ob obventura est pinguis hereditas.* 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis, si in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias, indè ex hereditate consecutus.*

TIT. XIII.

De Torneamentis.

172 **T**orneamenta, quæ detestabiles nundinæ, vel feriae in c. 1. b. t. nuncupantur, sunt hastiludia vel pugnae equestres, in quibus milites, & nobiles congregari solent ad virium, & audaciæ ostentationem. *L. 10. tit. 3. p. 1.* ibi: *Torneamento est una manera de uso de armas, que hacen los Caballeros, è los otros omnes en algunos logares, è acæsee à las vegas, que mueran algunos de ellos.* Dicitur *Torneamentum* à quodam verbo Græco, quod circuire significat juxta *Covarr. in Thesaur. Ling. Hisp. V. Torneo.* Vel juxta vulgare Italicum, à circuitu, & regressione pugilum, ut ait *Greg. Lop. in L. 10. tit. 13. p. 1.* vel à ludò Trojano, quasi *Trojamentum.* Sic *Virg.* postquam latè hos ludos reulerat *Æneid.* 5. concludit: *Trojaque tunc pueri, Trojanum dicitur agmen.* *Vid. Dictionar. de Trevoux. V. Tournoy.* Aliquando significat bellum cruentum, ut in *L. 18. tit. 26. p. 2. L. 27. tit. 23. p. 2.* Sed regularitèr est quædam representatio, vel figura belli, & cujus in Hispania satis frequens est usus, & vocatur *Torneo, Justas, Cañas, Alcañizas, &c.* Sed quia ex his torneamentis periculum animæ, & corpori potest imminere, prohibentur Jure Canonico sub privatione Ecclesiasticæ sepulture si quis ibi occidatur. *c. 1. c. fin. b. t.* Non tamen sunt neganda Sacramenta, si ea moriens poenitentia ductus petat, *c. 6. 26. q. 6. L. 10. tit. 13. p. 1. Barbos. & Gomez. in c. 1. b. t.* In his torneamentis infastè fuit occisus *Henricus II. Rex Galliae à Comite de Montgomery.* Jure Civili antiquo absolutè torneamenta, etiam periculosa, permittebantur. *L. 7. §. 4. ff. ad Leg. Aquil. Secus de Jure Ci.*

Civili novo. *L. un. C. de Gladiator. ibi: Cruentæ spectacula judicio Civili, & domestica quietè non placent, quia propter omnino gladiatores esse probemus.* Hodie verò, si torneamenta, ita moderatè fiant, ut per se non detur periculum cædis, vel vulnerationis, nisi forte per accidens: omni jure licita sunt Laicis, secus Clericis, quorum statum non decent teste *Orbis Christiani universali consuetudine.* *Barbos. in cap. 1. b. t. Gonz. in cap. fin. b. t. in 6.* Ob idem periculum corporis, & animæ est prohibita agitatio taurorum, vel ferarum à *S. Pio V. ann. 1567.* & imposita excommunicatio major in Dominos, qui eas permittunt: & qui ibidem decedunt privatur Ecclesiastica sepultura. In Hispania tamen nostra ob dexteritatem, audaciam, & inclinationem gentis, tales agitationes permittuntur laicis à *Greg. XIII. & Clem. VIII.* dummodo non fiant in die festo, & provideatur, ne alicujus mors, in quantum fieri possit, sequatur. *Azor. p. 3. lib. 2. cap. 15. Gutier. Canon. 22. lib. 1. cap. 7. Barb. in cap. 1. b. t. n. 3. Gonz. in cap. fin. eod. n. 7.*

TIT. XIV.

De Clericis pugnantibus in duello.

173 **A**gitur in præsentem de pugnantibus in duello, tam Clericis, ut *Rubrum* expressè docet, quam Laicis ut continetur in *Nigro*: quod in hac parte latius patet, quam *Rubrum.* *Duellum igitur est, quasi duorum bellum: & ideo Græcè dicitur Menomachia, cap. 22. 2. q. 5.* Est etenim singulare certamen duorum inter se ex condico susceptum. Aliquando solemnitèr fiebat, scilicet per litteras provocatorias, seu charthulam denuntiationis Hispanè: *Cartel*, adversario missas, assignando locum securitatis: quem campum francum appellant, & testes adhibendo: quos patrinos, seu secundantes vocant. Quod si hæc solemnitates desint privatum duellum dicitur. In nostra Hispania erat olim valdè frequens duellorum usus, de quibus, & eorum solemnitatibus latè agitur in *tit. 3. & 4. p. 2. & in tit. 8. lib. 8. R. C.* Et quidem in *L. 2. tit. 3. p. 2.* dicitur: *E debese facer el Riepto ante el Rey, è por Corte, è non ante Rico-Home, nin Merino, nin otro Oficial del Reyno. Et in L. 2. tit. 4. p. 2. di-*

citur: E debeles el Rey dar plazo, è señalarles dia que lidien, è mandarles con que armas se combatan, è darles Fieles que les señalen el campo, è le amojonen, è gelo demuestren: porque entiendan, è sepan ciertamente por qué lugares son los mojones del campo, de que non han de salir si non por mandado del Rey, è de los Fieles. E despoes que esto hobieren fecho, banlos de meter en el medio del campo, è partirles el Sol, è debenles decir, ante que se combatan, como han de facer; è ver si tienen aquellas armas, que el Rey mandó, ó mas, ó menos:: è debe el reptador acometer primeramente al reptado; pero si el reptador non lo acometiese, puede el reptado acometer à él si quiere. Duellum igitur omni jure est prohibitum: 1. *Jure Naturali*, siquidem cum nullus privatus sit Dominus membrorum suorum, nec vitæ alterius, nullomodo est illi liberum, nec permissum, in periculum tale suam, vel alterius vitam, vel etiam salutem atternam, præcipit: 2. *Jure Divino*: quia Dominus in sua Lege præcipit: *Exod. 20. & Deut. 5. Non occides.* Et *Christus Dominus* apud *Matth. 5. v. 21.* ait: *Audistis, quia dictum est antiquis: non occidas, qui autem occiderit, reus erit judicio.* Nam sibi Deus reservavit Dominium in hominum vitas. *Deut. 32. v. 39.* *Ego occidam, & ego vivere faciam.* 3. *Jure Civili*, in *L. un. C. de Gladiat.* Cujus decisio, licet tantum sit erga congregantes in ludo Gladiatorum, vel qui se ad pugandum cum bestiis pretio locabant, tamen extenditur ad duellentes, juxta communem sensum *DD. 4. Jure Ecclesiastico in toto hoc titulo, & Trid. sess. 25. de Reform. cap. 19. & ex Const. Pii IV. ann. 1560. Gregor. XIII. ann. 1582. Clem. VIII. ann. 1592.* Deniquè jure nostro Hispano hodierno est omnino prohibitus usus duellorum sub gravibus poenis. *L. 10. tit. 8. lib. 8. R. C.* & adhuc severius, & enixius jubentur puniri duellentes à nostro vigilantissimo Catholicoque Monarcha *Philippo V.* in speciali Decreto, quo duellorum usus à nostra Hispania exterminatur. Illicitum ergo est duellum ad vindicandam injuriam illatam: quia non licet autoritate privata vindictam sumere, cum ad hoc sit constitutum judicis officium. *L. 14. C. de Judais,* nec ad virium, & peritiæ militaris vanam ostensionem: siquidem ex tam vana causa, non est sumendum adeò periculosum medium; *arg. cap. 1. de Torneam.* Antiquius pluries duellum indiciebantur ad manifestationem veritatis, innocentiae, aut justitiæ. Sed cum

hoc medium ad tales fines consequendos, non solum sit periculosus, sed fallax, & superstitiosus, cum Deus non promiserit victoriam foventi justam causam, innocenti, vel veritatis assertori: ideo etiam in his casibus prohibetur, ideo etiam in his casibus prohibetur, cap. 22. 2. q. 5. cap. 1. & 2. de Purg. Vulgar. l. 8. tit. 14. p. 3. ibi: *Pero los sabios que ficieron las leyes, non la tovieron por derecha prueba, è esto por dos razones: la una, porque muchas vezes acaesce, que en tales lides pierdesse la verdad, è vence la mentira: la otra, porque aquel que ha voluntad de se aventurar à esta prueba semeja, que quiere tentar à nuestro Señor Dios.* Etiam prohibetur duellum, quamvis fatale non sit, sed fictum, quando scilicet non fit animo se vulnerandi graviter, sed tantum leviter, ad honorem, & famam conservandam, & ne credatur, eos duellum ex timiditate fugisse. Nam finis adequatus Legis non tantum est cædes impedire; sed usum detestabilem duellorum tollere, & in hoc casu istud duellum scandalum apud populum generaret, cum verum duellum crederetur. Præterquamquod, si hoc permitteretur, facile posset accidere, quod animis utrimque excitatis, verè ad cædem perveniretur. Ideo tale duellum inextinguibile prohibendum est cum Mendo l. 3. de Jure Academico, q. 29. Append. de Duell. §. 4. contra Pignat. t. 9. cons. 88. n. 92. Trull. in Decal. tit. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 13.

174 Licitam tamen est acceptatio, vel oblatio duelli: 1. Ad vitam, vel bona temporalia defendenda, saltem contra injustum invasorem, si alio modo defendi nequeant: quia tunc minus malum, ad majus malum avertendum eligitur: nec mortis periculum eligitur absolute, sed tantum gravissimum mortis periculum certum, in dubium, & incertum commutatur. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. n. 8. Less. de Just. lib. 2. cap. 9. n. 49. Etsi tunc injustus invasor succumbat, nec adhuc à vexatione injusta velit desistere, circumstantes tenentur ei non succurrere: nam hoc esset injusto duello ex parte illius cooperari. Si verò succumbat injustè invasus, tenentur circumstantes ei succurrere, etiamsi adjecta esset conditio, quod nullus succumbenti succurrat: nam hac esset illicita, & contra Jus Naturale, quo innocenti succurrendum est: 2. Licitum est etiam ad duellum provocare, quando causa, quæ in bello justo erat terminanda reducitur ad particulare certamen duorum, vel plurium: quia

consultius est aliorum dumtaxat vitam, quam vitas totius exercitus in periculum adducere: dummodo victoria alias satis certa non reddatur dubia per tale duellum. Et hac ratione admittit David duellum, ad quod Goliath Exercitus Israel provocabat. Et tunc, etiam non adjecta conditio de non succurrendum succumbenti, circumstantes tenentur non succurrere, etiamsi succumbat miles justam habens causam bellandi: nam bonum commune prevalere debet particulari. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. n. 12. 3. Milites publica autoritate suorum Ducum licite acceptant duellum, non ob vanam curiositatem, sed ad conservandam bonam existimationem exercitus apud hostes. Navar. in Man. cap. 15. n. 28. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. num. 14. Azor, p. 3. lib. 2. cap. 5. q. 3. 4. Similiter autoritate publica Judicis potest reus ad mortem condemnatus, adversus alium reum mortis pugnare zelo, quod exequatur justitia, & propria vite servandæ causa. Nam talis occisor, ut Minister Justitiæ sententiam mortis in alterum exequitur: 5. Adversus accusatorem potest accusatus duellum iniri, interveniente autoritate Judicis, si aliter non possit sententiam mortis, vel mutilationis, vel accusationem vitare: vel si inique à Judice condemnatus, ut duellum acceptet, vel mortem subeat: eam tunc esset potius defensio, quam duellum. Azor, p. 3. lib. 2. cap. 5. q. 3. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39.

175 Non tamen licet etiam virò equestri, & nobili duellum acceptare, ne timiditatis notam incurrat. Ideo Alex. VII. damnavit hanc propositionem, quæ est: 2. *Vir equestris ad duellum provocatus potest, illud acceptare ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Quia ad honorem defendendum non est necesse tam periculoso medium eligere: posset enim sic provocatus respondere: se duellum non acceptare in reverentiam Dei, Pontificis, & Regum nostrorum suis Legibus tale medium prohibentium: minimè tamen ex timore, seque esse promptum, & paratum, ad se ubique, & ad quocumque defendendum, si aggrediatur, vel invadat in justè, vim repellendo vi: posset enim suo modo respondere, sicut Turonus Anæ apud Virgil. lib. 12. *Ille caput quassans, non me tua ferocida terrent dicta, ferrox: Dii me terrent, & Jupiter hostis.* Et sic nullam incurreret infamiam, quin, & laudem mereretur. Nec sic respondens excluderetur ab Ordine Militari

ri D. Jacobi in nostra Hispania, nam solum constitutionibus hujus Ordinis excluditur, qui provocatus ad duellum, illud ex timiditate non acceptat, præcipue si à Mauris provocetur, & ita jam in Hispania declaratum est in Pragmatica contra duellantes. Si in duello occiderit provocans provocatum poena ordinaria Legis Corneliæ, mortis scilicet, punitur occisor. Quod si provocatus occiderit, cum difficilimum sit injuriato temperare dolorem. L. 4. C. ad Leg. Jul. de Aulter. mitius, & poena extraordinaria puniri solet. L. 14. §. 6. ff. de Bon. libert.

176 Poenæ Ecclesiasticæ in duellantes statuta: inveniuntur in Trid. sess. 25. cap. 19. de Reform. ibi: *Detestabilis duellorum usus, fabricante Diabolo, introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano Orbe penitus exterminetur: Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ad jurisdictionem, & Dominio Civitatis, castri, aut loci, in quod, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur, & si feudalia sint directis Domini statim adquirentur. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum patrum vocantur excommunicationis, ac omnium bonorum suorum in proscriptiois, ac perpetua infamia poenam incurrant, & ut homicidae juxta Sacros Canones puniri debeant, & si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli, tam in jure, quam in facto dederint, aut alia quacumque ratione, ad id quemquam suaserint, nec non spectatores excommunicationis, ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocumque privilegio, seu prava consuetudine, etiam immemorabili. Hinc est quod excommunicatio, quæ ab his incurritur est late sententiæ. Suar. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. n. 26. Princeps, & Magistratus, qui post duellum condonant, seu non puniunt duellantes, excommunicationem incurrit: quin, & incapax absolutiois est, qui non punit valde graviter provocantem ad duellum, etiamsi pugna non sequatur, cum superior ex suo officio debeat à Republica erimina exterminare. Lacr. lib. 3. p. 1. numer. 855. Hæ poenæ, quæ à Trident. in publica, & solemnia duella sunt statuta, extenduntur à Gregor. XIII. in Bulla Ad*

tollendam. Ad duella privata, quæ ex condito statuto tempore, & loco, quamvis sine patris, vel sociis, & aliis solemnibus fiant: & in Dominis ea permitten-tes, & omnes mandantes, instigantes, auxilium, vel consilium dantes, vel aliter cooperantes: item, in spectatores ex proposito, & in socios: etiamsi illi qui accedunt ad locum destinatum in effectu non pugnent, si per ipsos non steterit, quominus pugna committatur. Clem. VIII. in Bull. quæ incipit: *Illius vices.* Extendit dictas poenas ad milites duellantes ex inimitia privata, ac ad Duces ea permitten-tes, & subjicit interdicto Ecclesiastico Civitates, & Loca, in quorum territoris duellum, scientibus, & non contradicentibus Dominis, vel Magistratibus committitur, & Sedi Apostolicæ reservat absolutiones talis interdicti, & excommunicationis. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. ex n. 19. ab ea tamen, si est occulta, potest Episcopus absolvere, imò, & quilibet cõfessarius virtute Bullæ Cruciatæ.

177 Non incurritur hæ poenæ: 1. Si effectus non sit secutus, licet verè se aliqui provocaverint: quia etiamsi comparuerint tempore, & loco constitutis, si pugna non sequatur, non incurritur poenæ. Sic probabiliter Hurtado, Diana, Barbo. Fagundez, Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. num. 28. contra Fillicium, Bonac. Escob. Tambur. & alios cum Lacr. lib. 3. p. 1. n. 849. Nam poenæ prædictarum constitutionum ferunt in provocantem, & provocatum, qui pugnam, vel Monachiam commiserit. Patris tamen, & socii excommunicationi subjiciuntur à Papa, etiam non secuta pugna, quam promoveri sunt conati: 2. Si arma pugnantium ex se non sint destinata ad mortem infligendam; arg. cap. 1. de Tornam. Trid. sess. 25. de Reform. cap. 19. Sic si viri pugnis, vel baculo, vel mulieres evulsionis capillorum pugnent, etiamsi per accidens mors inferatur, non incurritur poenas duellantium. Pignat. tit. 9. cons. 88. n. 92. 3. Si ad pugnam non præcedat pactum, vel conventio, qua locus, & tempus simul, & copulative statuatur, non incurritur poenæ duellantium: quia pugna non fit ex condito; v. g. si aliqui calore iracundiæ in loco minus apto ad pugnandum, se provocent, & nullo facto intervallo, ad locum aptum exeant ad pugnandum, quia tunc provocatio, & pugna non sunt duæ, sed una moraliter actio. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. Nec item poenæ incurritur, si in provocatio-